ria de spiritu sancto generauerit christum et ioseph a generatione domini
uideatur alienus dubitare possemus nisi consuetudo nos instrue-
ret scripturarum quae semper uiri originem quaerit. Sic enim habes: Fa-
res fuit filius iuda princepis (al. princeps) tribus. hic generauit esrom et es-
rom generauit aram et aram genuit aminadab. Et aminadab
generauit naason et naason generauit salmon. Et salmon
generauit booz et booz generauit obeth. Et obeth generauit
iesse et iesse generauit dauid. Viri enim persona quaeritur qui et in sena-
tu et reliquis curiis ciuitatum generis asserit dignitatem. Quam de-
forme autem si relicta uiri origine origo feminae quaereretur
ut uideretur patrem non habuisse ille totius mundi populis praedican-
dus. Sed et alibi diuerso ordine generationem docemus esse de-
cursam, ne hic quoque euangelistae discrepare uideantur qui ueterem ordi-
nem sunt secuti. Sic enim habes: Fuit homo exarath et nomen eius hel-
chana filius ieremihel filius heli filius ohi. Uides et a patribus ad fili-
os et a filiis ad patres originis descriptionem ueteri more contex-
tam, uides ubique familiam per uirorum generationes esse decursam. Ho-
li mirari si matheus ab abraham usque ad ioseph, lucas a ioseph
usque ad adam et deum generationum ordinem percucurrit. Noli mi-
rari quod ioseph origo descripta est. Etenim secundum carnem natus u-
sum debuit sequi carnis, et qui in saeculum uenit saeculi debuit more de-
scribi, maxime cum in ioseph origine et origo sit mariae. Nam
cum uir iustus fuerit ioseph utique ex tribu sua et ex patria su-
a accepit uxorem, nec potuit iustus facere contra id quod lege prae-
scriptum est. Sic enim habes: quia unusquisque in hereditate tribus suae
patriae adherebunt filiis israel, nec de tribu ad tribum transibunt,
et omnis filia quae habet hereditatem tribuum filiorum israel uni ex populo
... ex tribu patris sui erit uxor. Itaque et census tempore ascen-
dit ioseph de domo et de patria dauid ut profiteretur cum maria
uxore sua. Quae ex eadem domo et ex eadem patria professionem

Lizenz: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 166(413), p. 70 – Ambrosius ‹Mediolanensis›, Expositio Evangelii secundum Lucam (http://www.e-codices.ch/de/sbe/0166/70)